Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26482
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ego ueni benedictionem a domino meo accipere.
nicolao. et concessum mihi non fuit. ut saltem eum conspice
re. Obsecro uos ut saltem aliquid mihi sancti nycolai
corporis uel uestimenti prebeatis. ut habeam tamen
uel odorem sanctissimi domini mei. Presbiteri uero et clerici bea
tissimi NYCOLAI hec intendentes. et talem
peticionem desideriumque cognoscentes. dederunt
ei unum de linteaminibus sanctissimi uiri. Cedron
autem ut accepit uestimentum beati NYCOLAI.
cum magno desiderio tulit nouum locellum
quo nemo usus est hominum. et cum gaudio reclu
sit. et ibat letus dicendo. Gratias tibi ago domine.
quia de sanctissimo confessore tuo reliquias porto.
Obsecro domine ut per beati reliquias NYCOLAI de
lumbis meis des filium mihi. Reuersus denique Cedron
in ciuitatem suam que dicitur excoranda. ad uxorem
que dicitur eufrosina cepit dicere. Ecce reliquie beati
NYCOLAI archiepiscopi. quem tu desiderasti ui
dere. Deprecemur illum ut per suas sacras reliquias
aperiat deus uuluam tuam. et de uisceribus tuis det